

santi di uffizi di misericordia, e di carità. Infino a che però la Santa Sede prenda altri provvedimenti, giammai non sia; che alcuno osi variare sulla gelosissima materia de' sacri rifugi neppure le particolari consuetudini introdotte ne' luoghi intorno alla maggiore, o minore estensione della franchigia fuori de' templi immuni; ma si badi bensì a togliere di mezzo le dissensioni, che nascono talvolta tra il sacerdozio, e l'imperio a cagione o degli orti o de' forni o degli altri profani luoghi, ne' quali, contigui essendo alle chiese, pretendono di rifugiarsi impunemente i colpevoli. In tal maniera si toglie l'occasione a quei, che scrivono sul modello di Pietro Giannoni di mettere in deriso ciò, che è venerando e sacrosanto per sua natura a cagione degli abusi introdotti, i quali non hanno a fare cosa del mondo colla santa dottrina, et disciplina della chiesa. Finalmente se la civil potestà voglia rispetto agli asili procurarsi vera quietà, e sicurezza di coscienza basterà, che ripensi, e rivolga per l'animo suo, che quando anche il sacro rifugio non discendesse dirittamente dalla dottrina di Cristo, è stato nondimeno mantenuto, e conservato in tutte le chiese per lo lunghissimo spazio di tredici secoli, e che i sacerdoti di tutte le cattoliche provincie hanno sempre avuto in costume di fulminare gravissime pene contro di coloro, i quali hanno tentato di contaminarlo e violarlo, e che i primi dottori della chiesa così Greca, come Latina, lo hanno vigorosamente sostenuto ad onta di tutti; senza ragionare della venerazione con cui è stato riguardato da tanti principi, e dagli imperatori più rinomati, e più santi. E se in così lungo spazio di tempo conservati si sono gli asili a favore di tutti i rei, quando non meno, che ora militavano i soliti pretesti della pubblica quiete, e del mal esempio degli altri, perchè sono eglino da abbolirsi nei giorni nostri con grave dispregio di tanti canoni ecclesiastici, o di tante censure, e di tanti affaticamenti de' nostri maggiori? »

## ARTICULUS IV.

*Quoad ea quæ specialiter concernunt immunitatem realem, et personalem, et penas eam violentiam, ac absolutionem ab eisdem.*

(1. Immunitas realis et personalis ea est, et in hoc consistit, quod personæ ecclesiasticæ, et bona cuncta, seu res omnes ad personam ecclesiasticam, vel ad ecclesiam aliquam pertinentes, sint immunes et liberæ, ac exemptæ a jurisdictione cujusvis potestatis et personæ laicalis, atque ab exactionibus, et oneribus quibuscunque. Unde, ut vide, immunitas, qua res ecclesiarum et ecclesiasticorum sunt immunes vocatur *realis*: illa vero qua personæ sunt exemptæ a jurisdictione, et ab oneribus personalibus vocatur *personalis*. Ita in re omnes communiter: Arg. cap. *Non minus 4*, et cap. *Adversus 7, de Immunitate ecclesiarum*; cap. *Quia nonnulli 1, de Immunitate*, in 6, Clementin. unic. eod. cap. *Quancum 4, de*

*Censibus* in 6, Authent. *Item nulla*, codic. *de Episcop. et cleric.*

(2. Nominè personarum ecclesiasticarum veniunt omnes clerici, tum sæculares, tum regulares utriusque sexus, etiam povitii, et alii enumerati sub verb. *Clericus*, art. 1. a n. 5 ad 18, et art. 2 fere per totum. Vide ibi. (3. Nominè honorum, seu rerum ecclesiasticarum veniunt omnes ecclesiæ, seu templa ædificata una cum cœmeteriis, item vasa sacra, paramenta, vestes et alia sive consecrata, sive benedicta ad divinum cultum deputata quasi instrumenta. Item bona a piis fidelibus oblata, donata et destinata pro dote, et manutentione ecclesiarum, earumque rectoribus, et ministrorum: Item alia bona ecclesiarum, et ecclesiasticarum personarum patrimonialia. (4. Omnes personæ vere ecclesiasticæ gaudent immunitate personali, indeque liberæ, immunes et exemptæ sunt ab omni jurisdictione, et foro cujusvis potestatis et personæ laicalis, tum in causis civilibus ex cap. *Bona quidem 1*, distinct. 96; cap. *in Canonibus 57*, caus. 16, qu. 1; cap. *Ecclesiæ S. Mariæ 20, de Constitutionibus*; cap. *Qualiter, et quando 17, de Judiciis*; c. *Si delinquenti 12, de Foro competenti* et authent. *Statuimus*; cod. *de Episcop. et cleric.* cum similibus. Tum in causis criminalibus, ex cap. *Nemo unquam 1*; cap. *Nullus Judicium 2*; cap. *Relatum 13*, caus. 11, cap. *At si Clerici 4, de Judiciis* cum similibus. (5. Sic etiam omnes res ecclesiarum et personarum gaudent immunitate reali; indeque liberæ, et immunes et exemptæ sunt ab omni jurisdictione laicali, et ab oneribus et exactionibus quorumcunque laicorum, cap. *Quæ semel 4*, caus. 19, quæst. 3; c. *Ligna 28, de Consecrat.*, dist. 1; c. *Non minus 4*, et cap. *Adversus 7, de Immunitate eccles.* cap. *Quia nonnulli 1, de Immun.* in 6, Clementin. unic. eod. c. *Sancitum est 1, de Censibus*; cap. *Quancum 4*, eod. in 6. Authent. *Item nulla*; cod. *de Episcop. et cleric.* l. *Sancimus 21*; cod. *de Sacrosanctis eccles.* Vide verb. *Clericus*, art. 2, et art. 7 per totum ubi late quoad immunitatem et exemptionem.

(6. Immunitas realis et personalis est de Jure divino ut jam probatum est antea art. 1, num. 7, et sub verb. *Clericus*, art. 1, a num. 77 usque ad 85 inclusive, et verb. *Bona ecclesiastica*, art. 2, a num. 16. Vide ibi. (7. Ecclesiastici etiam sponte non possunt solvere exactiones laicales, et laici a sponte dantibus non possunt accipere: Sic expresse statuit Urbanus VIII, constitut. incip. *Romanus pontifex*, § 6, per extensum adducta sub verb. *Bona ecclesiastica*, art. 2, num. 68, ubi declarat illicitas et invalidas, et restitutioni obnoxias exactiones laicales etiam sponte datas, ibi: « Necnon quascunque contributiones, collectas, gabellas, militum hospitationes, decimas vel alias fructuum partes, aliaque onera, et gravamina quæcunque super ecclesiis, monasteriis, et locis piis, præsertim vacantibus, personis ecclesiasticis, earumque vel eorum bonis seu fructibus; etiam prætextu, vel causa facultatis bona stabilia acquirendi, seu retinendi,

ac quomodolibet per laicos præfatos, et quoscunque alios, alias quomodolibet qualificatos absque sufficienti facultate apostolica impositas, exactasque etiam a sponte dantibus vel contribuentibus. » Et in bulla *Cænæ Domini*, § 18, expresse excommunicantur laici omnes cujuscunque sint dignitatis et auctoritatis, qui collectas, exactiones, aliave onera clericis, aut locis piis eorumque bonis imposita, etiam a sponte dantibus et concedentibus absque speciali et expresse Sedis apostolicæ licentia recipiunt, et ex declaratione sac. congr. Immun. in Volaterrana 18 Septembris 1629: « Clerus non potest solvere collectas absque incurso censurarum, » sic præcisè verbis refert Pignatell., tom. II, consult. 54, num. 62, qui ibid. sub n. 88, subdit: « Clericus non potest sponte solvere gabellas a laicis impositas. » ead. sacra congr. in Vicentina 15 Junii 1638, et in Adrien. 27 Septembris 1632. Quoad hæc et similia, vid. verb. *Bona ecclesiastica*, art. 2, per tot. et signanter a num. 68, ubi adducitur bulla Urbani VIII incip. *Romanus pontifex*, in qua multa scitu necessaria statuuntur et declarantur, ut ibi videre est; et num. 69, cum sequent.

(8. Quas pœnas incurrant violatores hujus immunitatis, quinam sint tales violatores et a quo possint vel non ab eisdem pœnis absolvi, jam satis dictum est sub verb. *Bona ecclesiastica*, art. 3, per tot. Unde ne jam scripta rescribantur vide ibi.

## NOVISSIMÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(9. In prima hujus Bibliothecæ editione in articulo *Bannitus*, num. 22, impressa est quædam epistola de mandato Pauli V a cardinali Sabellio data ad nuntium regni Nea-

## IMPEDIENS.

## SUMMARIUM.

1. Impediens aliquem a consecutione boni, ad quod habet jus quæsitum in re, vel ad rem, peccat graviter contra justitiam, et tenetur proportionate ad restitutionem. — 2. Etiam impediens absque vi, fraude, detractione et mendacio. — 3. Demonstratur quomodo sit faciendâ restitutio proportionata. — 4, 5. Impediens sine vi, fraude et mendacio aliquem a consecutione boni, ad quod nullum habet jus in re, nec ad rem, peccat mortaliter, si faciat ex odio, et non tenetur ad restitutionem juxta proportionem spei, probabilitatis, seu certitudinis habitæ illius boni consequendi, si per vim, fraudem et mendacium impediatur a consecutione talis boni. — 6. Impediens aliquem a consecutione boni, revelando occultum, atiamen verum crimen, peccat graviter, et tenetur ad compensationem, si id non faciat ex juxta causa. — 7. Advocati, procuratores, medici, chirurgi, ludimagistri, tonsores, artifices, mercatores, alique similes, qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus cum aliorum præjudicio curant ad se trahere illos qui alios frequentabant, peccant graviter, et tenentur ad proportionatam restitutionem. — 8. Non peccant autem contra justitiam, nec tenentur ad restitutionem, si id faciant sine ulla vi, fraude, etc., sed solum communibus mediis, persuasionis, consilii, precum, etc. — 9. Imo Lugo eos excusat etiam a peccato mortali, quamvis cum aliorum præjudicio eurent ad suam operam, et officinam trahere eos, qui alios

politani, eaque reperiri asserebatur in registris sacre congreg. Episcoporum et regularium negotiis præpositæ fol. 55. Sub fide auctoris hæc ipsa epistola impressa fuit in cæteris, quæ postmodum factæ fuerunt editionibus in eodem artic. *Bannitus* non excepta una, et altera Romana, tum hæc postrema Veneta. Sed tandem aliquando animadversum fuit hanc epistolam immane quantum lædere localem immunitatem, atque ideo inquiri cœpit, an ea vera esset nec ne? Et supposititia fuit deprehensa. In registris enim dictæ sacre congregationis non ipsa, sed hæc alia epistola fuit reperta, quam ad corrigendum errorem in quem nos traxit auctor e re duximus hic imprimere.

« Avendo nostro signore inteso quello, che V. S. scrive alla congregazione de' Ves-covi con sua de' 7. Giugno prossimo circa ai disordini, che nascono per la frequenza di quelli, che confuggono ai luoghi sagri, ed inteso anche il senso di lei, che allargandosi seco la mano col concedergli facultà di poter far estrarre alcuni più insolenti, si potrà col castigo di pochi dar esempio, e reprimere l'insolenza agli altri; si contenta la Santità Sua di rimettere in lei, che in alcuni casi più gravi possa, secondo la sua prudenza, dopo l'aver fatta ammonire i Delinquenti, che partano; se ciò non giova, dar licenza alla Corte secolare di estrarli, persuadendosi Sua Santità, che ella sia per valersi di questa facultà solo quando conoscerà, che lo scandalo, ed il servizio pubblico lo ricerchi, dando però in ciascuno di detti casi avviso del seguito: E per fine Dio, » etc.

De immunitate reali vide quæ diximus in additione ad verb. *Bona*, art. 2 per tot.; de personali vero vide dicta n. 5, *Clericus et Forum*.

frequentare solebant. — 10. Qui vi, fraude, minis impedit procuratorem, vel advocatum, ne assistant alterius causæ, seu liti, et sic ei impedit victoriam, peccat contra justitiam, et tenetur ad proportionatam restitutionem. — 11. Item tenetur ad restitutionem, qui ex industria aliis negotiis occupat procuratorem alterius, ne possit huic aliquid bonum. — 12. Imò etiam si procurator esset voluntarius et sponte vellet servire. — 13. Injuste aperiens alterius litteras, ex quibus cognoscit ipsum aliquid pingue beneficium certo medio consecutum, certa negotiatione multum lucraturum, et hujusmodi, et postea prævenit, impedit, et sibi tali medio et negotiatione acquirit, peccat contra justitiam, et tenetur ad proportionatam restitutionem. — 14. Item peccat contra justitiam, et tenetur sic ad restitutionem, qui dolose retinet litteras alienas qui ex justitia tenetur tradere, si ex morosa consignatione litterarum alicui fuit impedita consecutio alicujus boni. — 15. Impediens bono fine et zelo sine vi, vel fraude, aliquem vere indignum, et ineptum a consecutione cathedræ, officii vel beneficii, etiam si occulta ejus crimina manifestet, non peccat, nec tenetur ad restitutionem. — 16. Talem autem impediens ex odio vel vindicta, aut cum vi seu fraude, licet non teneatur ad restitutionem, nec peccat contra justitiam, peccat tamen contra charitatem, etc. — 17. Impediens aliquem dignum consecutione cathedræ, officii, vel beneficii, ut cathedra, officium vel beneficium conferatur manifeste digniori, quovis modo impediatur, nec peccat,

nec tenetur ad restitutionem. — 18. Impediens malo et iniquo affectu digniorem, vel vere dignum quovis modo a consecutione cathedræ, officii vel beneficii, curans conferri manifeste indigno, peccat gravissime, et tenetur ad proportionatam restitutionem. — 19. Impediens sine vi et fraude, sed solis precibus, ne cathedra, officium vel beneficium conferatur uni digno, et occurrens conferri alteri æque digno, non peccat, nec tenetur ad restitutionem; peccat tamen, si id faciat vi et fraude, et hujusmodi. — 20. Impediens sine vi et fraude, sed solis precibus, ne cathedra, officium vel beneficium simplex conferatur digniori, sed digno, non peccat graviter, nec tenetur ad restitutionem. — 21. Peccat tamen graviter, et tenetur ad restitutionem proportionatam, si id faciat per vim, fraudem, etc. — 22. Impediens etiam sine vi et fraude, et a fortiori cum vi et fraude, ne cathedra vel beneficium conferendum per concursum conferatur digniori, peccat gravissime, et tenetur ad

(1. Impediens aliquem a consecutione boni, ad quod habet jus quæsitum *in re*, vel *ad rem*, peccat graviter contra justitiam, et tenetur proportionate ad restitutionem. *Communis*, et *certa*, cum S. Thoma 2, 2. q. 62 ad 8; Navar., in Manual., cap. 17, num. 69; Card. de Lugo, disp. 18, sect. 5, num. 8. (2. Etiam si impediatur absque vi, fraude, detractione, mendacio, quia quocumque modo impediatur, vere violat justitiam auferendo bonum alterius, id nimirum, ad quod alter jam jus in re, vel ad rem habuit; *Communis* cum supracitatis. (3. Dicitur autem notanter teneri ad restitutionem *proportionate*, quia impediens consecutionem boni, ad quod alter jam habet jus perfectum seu *ius in re*, tenetur ad fere totum damnum compensandum, scilicet reddendo, seu restituendo ipsum bonum ei impeditum, v. g.: Beneficium sibi jam collatum, et confirmatum quamvis possessione nondum aditum, aut ejus valorem, detracta tamen æstimatione possessionis nondum habitæ quæ etiam est pretio æstimabilis, quia *ius in re* ante possessionem adhuc periculo subest, ideoque minus valet, quam ipsa res possessa; minus enim valet pecunia, v. g., tibi ablata et restituenda sed nondum restituta, et possessa quam pecunia, tam restituta, et possessa. Impediens autem a consecutione boni, ad quod habet jus imperfectum, et *ad rem tantum*, non tenetur compensare totum damnum, v. g.: totum beneficium promissum, et præsentatum tantum, sed nondum collatum, nec totum valorem ipsius; sed solum partem juxta æstimationem juris, et spei habitæ consequendi illud bonum. *Communis* cum S. Thoma loc. cit., et Scoto in 5, distinct. 15, quæst. 2, art. 4, numer. 40, § *Ad ultima dico similiter*.

(4, 5. Impediens sine vi, fraude et mendacio aliquem a consecutione boni, ad quod nullum habet jus ex justitia, nec *in re* nec *ad rem*, peccat mortaliter, si id faciat ex odio non ex justa causa, et non tenetur ad restitutionem, quia non peccat contra justitiam. *Communis*. Tenetur autem ad restitutionem juxta proportionem spei, probabilitatis, seu certitudinis habitæ illius boni consequendi si, per vim, fraudem et mandatum impediatur a consecutione talis boni,

restitutionem. — 23. Impediens jurisdictionem episcopi censuris innodatur. — 24. Item impediens ne curia ecclesiastica possit vocare laicos ad comparandum personaliter pro examine. — 25. Item impediens in exercitio sui muneris ministros curiæ ecclesiasticæ. — 26. Birruarius impediens fugam sacerdoti, cum detinens per pallium, absolvitur ad cautelam. — 27. Ballivum addictum servitio utriusque curiæ, si quis impediverit, ne inserviat curiæ ecclesiasticæ, excommunicatur. — 28. Et ubi sufficienter non constat de tali impedimento, sed potius fuerit pro aliquo actuali servitio curiæ laicalis, tunc datur absolutio ad cautelam. — 29. Decretum magistratus sæcularis prohibens, ne prædictus ballivus inserviat curiæ ecclesiasticæ, est abolendum per actum publicum. — 30. Gubernator ballivum curiæ laicalis carcerans, eo quod ei præsentasset præceptum curiæ episcopalis, excommunicatur. — 31 ad 51. Aliqua de impedimento legitimo.

v. g., si Titio volenti relinquere hæreditatem, vel legatum Caio, vim quis inferat, ne id faciat vel mendaciis, et falsis criminibus Caio relatis avertat Titium ab hac voluntate, quia licet non habeat jus absolutum ad illud legatum, habet tamen jus absolutum, ne per fraudem et vim impediatur ejus potentia, spes et probabilitas ad illud. *Communis* teste Card. de Lugo, disp. 18, sess. 5, n. 91. (6. Impediens aliquem a consecutione boni, revelando occultum, attamen verum crimen, peccat graviter, et tenetur ad compensationem, si id non faciat ex justa causa, quia non solum peccat contra famam, sed etiam contra jus quod ille habebat, ne iniique per talem detractionem impediatur a consecutione talis boni. *Communis*.

(7. Advocati, procuratores, medici, chirurgi, tonsores, artifices, ludimagistri, mercatores, alique similes, qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus cum aliorum præjudicio, curant ad se trahere illos, qui alios frequentabant, peccant graviter, et tenentur ad restitutionem juxta proportionem boni aliis impediti, et consequenter damni causati, quia tales nedum peccant contra charitatem, sed etiam contra justitiam. *Communis*. (8. Non peccant autem contra justitiam, nec tenentur ad restitutionem, si id faciant sine ulla vi, fraude, mendacio et criminatione, solis communibus mediis persuasionis, consilii, precum et hujusmodi absque intentione alios offendendi, quia tales utuntur jure suo, quod habent ad alios persuadendos in sui utilitatem, nec alii habent jus strictum ad illos clientes, discipulos, et respective se frequentantes; sicut enim poterant illi sine injustitia sponte sua recedere, sic possunt sine injustitia suaderi. Sanchez, in consil. lib. 1, cap. 3, dub. 3, num. 2; Lugo, disp. 18, num. 109, ubi dicit hanc esse veriorum sententiam, et alii. (9. Imo Lugo, ibid., num. 111, eos excusat etiam a peccato mortali, quamvis cum aliorum præjudicio curent ad suam operam et officinam trahere eos, qui alios frequentare solebant, quia charitas non obligat ad consulendum bono proximi cum magno proprio incommodo. Si enim peccarent mortaliter, ut volunt plures cum Sanchez l. c. n. 3. væ, dicit Lugo, væ magistris, et concionatoribus,

qui omnibus artibus, et mediis utuntur, ut aulicos sibi accumularent etiam cum præjudicio omnium concurrentium; imo tunc majorem æstimant suam gloriam, quando ex schola vel audientia aliorum retrahunt auditores ad suam; quod quidem faciunt et advocati, procuratores, medici, chirurgi, tonsores, artifices, mercatores, alique similes.

(10. Qui vi, fraude, minis impedit procuratorem, vel advocatum, ne assistat alterius causæ, seu liti, et sic ei impedit victoriam, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem juxta proportionem boni impediti, et mali causati. *Omnes*. (11. Item tenetur ad restitutionem, qui ex industria aliis negotiis, v. g., invitando ad venationem, ludum, prandium et hujusmodi, occupat procuratorem alterius, ne possit huic aliquid bonum obtinere, ad quod procurandum tenebatur, vel ex officio, vel ex contractu, quia talis fecit fraudem, per quam est causa damni. (12. Imo etiam si procurator esset voluntarius, et sponte vellet servire, qui ita tacite, et industrialiter occuparet eum ignarum intentionis suæ, adhuc teneretur restituere, quia adesset fraus; nam invitando ad venationem, ludum, prandium et hujusmodi, aliud significaret et aliud intenderet; fraus autem et dolus nemini patrocinari debent, cap. *Ex litteris 2, de Dolo et contumacia*; cap. *Sedis 13*, et cap. *Ex tenore 16, de Rescriptis*; cap. *Tua 12, de Clericis non resident.*; Lugo, loco citat. n. 103. La Croix, lib. III, p. 2, n. 78 et alii.

(13. Injuste aperiens litteras alterius, ex quibus cognoscit ipsum aliquid pingue beneficium certo medio consecuturum, certa negotiatione multum lucraturum et hujusmodi, et postea prævenit, impedit et sibi tali medio et negotiatione acquirit, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis, probabilitatis, vel spei habitæ illud bonum consequendi, quia talis injusta aperit, et lectio litterarum fuit impeditiva ipsius boni, et causa mali. Lugo, disp. 18, sect. 5, num. 104, et in Respons. moral. lib. v, dub. 10; Lessius, lib. II, cap. 12, a num. 130; Sporer, tom. II, tract. 4, prælimin. ad præcepta secundæ Tabul., cap. 2, sect. 3, num. 205; La Croix, lib. III, part. II, num. 76 et alii. (14. Item peccat contra justitiam, et tenetur sic ad restitutionem, qui dolose retinet litteras alienas, quas ex justitia, officio vel contractu tenetur tradere, si ex morosa consignatione litterarum alicui fuit impedita consecutio alicujus boni; talis enim dolosa litterarum detentio fuit graviter injuriosa, et præjudicialis ei, cui erant directæ. Doctores citati, et alii passim.

(15. Impediens bona fide et zelo, sine vi vel fraude aliquem vere indignum, et ineptum a consecutione cathedræ, et officii vel beneficii, etiam si vera ejus crimina occulta et ineptitudinem incognitam manifestet collatori, nec peccat, nec tenetur ad aliquam restitutionem: imo est potius laude dignus, et merito, quia maxime interest bono

communi reipublicæ, et ecclesiæ cathedras, officia, vel beneficia non conferre indignis et ineptis, et ad illa nullum prorsus jus habent indigni. *Communis, ac certa*. (16. Talem autem impediens ex odio vel vindicta, aut cum vi seu fraude, licet non peccet contra justitiam, et non teneatur ad restitutionem, ex quo indignus, et ineptus nullum prorsus jus habeat ad illa, peccat tamen contra charitatem, vel aliam virtutem juxta suam malam affectionem, et iniquam artem adhibitam. Imo, si talem impediatur, infamando injuste apud alios, peccat etiam contra justitiam injusta læsione famæ alterius, et ad hujus restitutionem tenetur, licet non teneatur ad restitutionem pro impedita consecutione cathedræ, officii, vel beneficii propter rationem adductam. *Communis*.

(17. Impediens aliquem dignum a consecutione cathedræ, officii vel beneficii, ut cathedra, officium vel beneficium conferatur manifeste digniori, quovis modo impediatur, nec peccat, nec tenetur ad aliquam restitutionem, quia dignus nullum prorsus jus habet respectu dignioris, unde illum impediendo, et hunc promovendo, recte agitur juxta intentionem Ecclesiæ, vel reipublicæ volentis dare cathedras, officia vel beneficia dignioribus, ita exigente justitia distributiva. *Communis*. (18. E contra impediens malo et iniquo affectu digniorem, vel vere dignum quovis modo a consecutione cathedræ, officii, vel beneficii, et curans conferri manifeste indigno, peccat gravissime, et ad restitutionem tenetur ipsi digniori, seu vere digno, juxta proportionem juris, si quod ad ipsa habebat: sin autem ipsi Ecclesiæ, vel reipublicæ pro damnis consecuturis, et primo loco restituere tenetur ipse indignus habens cathedram, officium vel beneficium, secundo loco collator, tertio loco ipse suator, et promotor seu cooperator. *Communis*; arg. c. *Quia per ambitiosam 15, de Rescriptis*, et cap. *Grave nimis 29, de Præbend.* (19. Impediens sine vi et fraude, sed solis precibus, et suasionibus ne cathedra, officium, vel beneficium conferatur uni digno, et procurans conferri alteri æque digno, nec peccat, nec tenetur ad restitutionem: si autem id faciat vi, fraude et hujusmodi, licet non teneatur ad restitutionem, ex quo dignus non habeat jus justitiæ supra æque dignum, peccat tamen ob fraudem et vim adhibitam, quia æque dignus gaudet jure, ne malis artibus impediatur. *Communis*.

(20. Impediens sine vi et fraude, sed solis precibus et suasionibus, ne cathedra, officium, vel beneficium simplex conferatur digniori, sed digno, quamvis non desint magni nominis doctores dicentes quod peccet graviter, tamen non esse peccatum mortale conferre beneficia simplicia nullam curam animarum habentia personis dignis omissis dignioribus, tenent plurimi alii a nobis citati, et secuti sub verb. *Beneficia ecclesiastica*, art. 5, num. 28 et seq. cum La Croix, lib. IV, num. 591, cum Rota recentior. p. 10, dec. 262, num. 1 et 2, ubi præcise dicit, quod dignus in beneficiis simplicibus

eligi potest omisso digniori: quod si alii diceremus, omnes fere praelati essent in statu damnationis providentes beneficia simplicia dignis, prætermisissis dignioribus, quæ acerbissima profecto esset sententia. Hactenus Rota loc. cit. plurima alia adducens, ut ibi videre est. Attamen ibid., sub num. 8, dicit, quod tutius est etiam beneficia simplicia adjudicare dignioribus. (21. Impediens aut per vim vel fraudem, aut aliam iniquam artem, peccat, et tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis aut spei, vel probabilitatis, quam habuit dignior consequendi illam cathedram, officium, vel beneficium, quia ille dignior gaudet jure, ne iniquis artibus impediatur. *Communis.*

(22. Impediens etiam sine vi et fraude, et a fortiori cum vi et fraude, ne cathedra, aut beneficium conferendum per concursum et oppositionem, conferatur digniori, peccat gravissime, et tenetur ad restitutionem, seu ei resarciendum damnum judicio prudentis. Colligitur ex cap. *Metropolitano* 19, dist. 63, ex c. *Licet* 15, caus. 2, quæst. 1, ex cap. *Unica, Ut ecclesiastica beneficia*, ex Concil. Tridentin., sess. 24, c. 1 et c. 18, de *Reformat.* et constit. S. Pii V incip. *In conferendis beneficiis*, et ex propositione 47, inter damnatas ab Innocent. XI, die 22 Mart. 1679; et sic tenent Fagnan., lib. II Decretal. in cap. *Mandato* 46, de *Simonia*, num. 29; Navarr., in *Manual.* cap. 17, n. 74; Lessius, lib. II, cap. 34, dub. 15, num. 75; Lugo disp. 18, sect. 5, num. 107, ubi testatur de communi. Et ratio est, quia dignior judicatus in concursu habet jus ex lege, uti recte dicit Navarr. cum Lessio loc. cit., num. 72; La Croix, lib. IV, n. 628: intervenit enim quasi contractus inter illos, qui indicunt concursum, et qui concurrunt, ut qui dignior fuerit renuntiatus, consequatur cathedram, seu beneficium; unde impediens digniori talem consecutionem, ad quam habet jam perfectum jus ratione habiti concursus, facit gravem injuriam contra justitiam, et ideo tenetur ei restituere, seu compensare damnum. Vide verb. *Beneficia ecclesiastica*, art. 5, a num. 18 ad 27.

(23. Impediens jurisdictionem episcopi, censuris innodatur: sac. congreg. Immun. in *Ugentina* 10 Mart. 1699, lib. II decret. Vall., pag. 207. (24. Ob recursum ad iudices laicos pro impediendo, ne curia ecclesiastica posset vocare laicos ad comparandum personaliter pro examine ordinarius procedat: ead. sac. congreg. Immun. in una *Montis Cassini*, 20 Nov. 1696, lib. II decretor. Vallem., pag. 58. (25. Impedientes in exercitio sui muneris ministros curiæ ecclesiasticæ, censuris innodantur; ead. S. cong. Imm. in *Asculana* in *Apulia*, 9 Jul. 1695, lib. I decret. Vallem., pag. 196. (26. Birruarius impediens fugam sacerdoti eum detinens per pallium, absolvitur ad cautelam; ead. sac. congreg. Immun. in una *S. Agathæ Gothorum* 2 Jul. 1698, lib. II decr. Vallem., pag. 225. (27. Ballivum addictum servitio utriusque curiæ, si quis impediens ne inserviat curiæ ecclesiasticæ, excommunicatur; eadem sac.

cong. Immun. in *Nucerina*, 18 Novemb. 1687, lib. decret. Martelli, pag. 186. (28. Et ubi sufficienter non constat de tali impedimento, sed potius fuerit pro aliquo actuali servitio curiæ laicalis, tunc datur absolutio ad cautelam; *ibidem.* (29. Decretum magistratus sæcularis prohibens, ne prædictus ballivus inserviat curiæ ecclesiasticæ, est abolendum per actum publicum; ead. sac. cong. Immun. in *Asculana*, 5 Octob. 1688, lib. decretor. Martelli, p. 337. (30. Gubernator ballivum curiæ laicalis carcerans, eo quod ei præsentasset præceptum curiæ episcopalis, excommunicatur; ead. sac. cong. Immun. in *Sutrina*, 13 Januarii 1703, lib. III decretor. Vallemanni, pag. 468.

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(31. De legitimo impedimento frequens est in foro disputatio: abs re igitur haud est de eo paucis disserere.

(32. Legitimum impedimentum non male definitur: «Justa causa alicui obstaculum creans, quominus quod ipsi faciendum incumbere præstare possit.»

(33. Præstat igitur I. legitimum impedimentum morbus non omnis, sed santicus tantum; Strik., *Disput. juridic.* vol. V, disp. 3, cap. 2, num. 3 et 4, qui n. 16 et plur. seq. una tradit., an et quando senectus præstet legitimum impedimentum. (34. Santicus vero morbus, non solum proprius, sed et conjugis, tum liberorum, legitimum præstat impedimentum; Carpzov., *Jurisp. Forens.* part. I, constit. 9, defin. 8; Zanger., de *Except.* part. II, c. 9, n. 13. (35. Nonnunquam et morbus advocati impedimentum legitimum præstat, tunc scilicet cum reus facile alium advocatum, aut procuratorem habere haud possit; Stryk., *Disput. juridic.* tom. V, cap. 2, num. 10 et sequent.; Langius, in *Process. jur. civil. et Saxon.* cap. 70, num. 71.

(36. II. Præstat impedimentum legitimum captivitas, et quidem etiamsi culpa præcesserit; Mynsinger. *Cent.* 4, observ. 57; Rüdinger, *Centur.* 2, observ. 10. (37. Idque extendit ad violentam detentionem, et quidem etiamsi a privato ea fiat; Stryk., *Disput. juridic.* tom. V, disp. 3, c. 2, n. 22.

(38. III. Legitimum præstat impedimentum absentia reipublicæ causa. (39. At num abesse reipublicæ causa dici possint, et sic allegare legitimum impedimentum deputati, qui a civitate municipali, aut castro, aut villa mittuntur, non convenit inter doctores; consule Stryk., *Disput. juridic.* tom. V, disp. 3, cap. 2, num. 24, et plur. sequent. qui et de eo disputat. an legatio libera præstet impedimentum legitimum.

(40. IV. Militia legitimum impedimentum præstat. (41. Et quod singulare est, etiam milites urbanici legitimum impedimentum allegare valent; Bruneman. ad l. 53, ff. *ex quibus caus. major.*; Stryk., *Juridic. dissert.* volum. V, disp. 3, cap. 2, num. 32.

(42. V. Præstat legitimum impedimentum peregrinatio, sed non omnis. (43. Tributum, id est peregrinatio studiorum causa, tum causa mercaturæ; Stryk., *Disput. jurid.*,

tom. V, disp. 3, c. 2, n. 38 et plur. sequent.

(44. VI. Locus non tutus præstat impedimentum legitimum; Stryk., *Jurid. dissert.* vol. V, disp. 3, c. 2, num. 46, qui et exemplis rem illustrat; Coler. de *Process. execut.* part. I, cap. 12, n. 21.

(45. VII. Præstat legitimum impedimentum litis pendentia; Zanger., de *Except.* 2, art. 2, c. 13, num. 3; Mindan., de *Process.* lib. III, § 5, n. 11.

(46. Et ut alias causas legitimi impedimenti omittamus, de quibus consuli potest Stryk., *Juridic. dissert.* volum. V, c. 2, n. 50, ad fin., præstat et illud factum adversarii, vel etiam alterius cujuscunque.

(47. De ratione probandi legitimum impedimentum ad eundem Stryk., *Jurid. dissert.* vol. V, c. 3, per tot. (48. Non vero, quoad factum adversarii vel alterius cujuscunque, satis haud esse illud probare, sed probare simul oportet, omnes adhibitæ esse diligentias pro ejus remotione, easque nihil profuisse; Decius, *consil.* 677, numer. 4; Mindan., de *Process.* lib. II, c. 19, num. 2.

(49. Probato legitimo impedimento, causa restituitur in pristinum statum, in quo erat ante impedimentum, et de novo secundum juris ordinem proceditur. (50. De specialibus vero effectibus legitimi impedimenti pro varietate præsertim causarum ipsius, confer. Stryk., *Juridic. dissertat.* volum. V, cap. 4, per tot.

## ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(51. Subjicere placet, quæ scribit Conciliati tractatu 9 de septimo Decal. præcepto cap. 5, § 8, num. 6, tom. I, pag. mihi 387, seq. Sunt autem hujusmodi: Titius novus artium liberalium magister, absque mediis injustis procurat modis civilibus divertere discipulos a Sempronii schola, ut ad suam conveniant, et reapse plures eorum ad suam traxit; ad quid tenetur? Si Titius non sit longe præstantior in docendo, quam sit Sempronius, peccat contra justitiam respectu Sempronii; quia cum non sit doctrinæ longe majoris, sed aut circiter æqualis, aut forte inferioris, injuste lædit illius famam, inducendo scholares, ut se eidem præferant; necnon illius justum lucrum, circa quod quoddam jus in re habebat, ne sibi tolleretur, ob æqualem, aut inferioris alterius magistri idoneitatem. Unde Cajetanus, in *Summola*, verbo *Magistrorum peccata*, dicit: «Quinto, peccant Magistri deviendo scholasticos auditores ab aliis doctoribus in damnum ipsorum aut auditorum, et injuriam doctoris; et hoc esset mortale, si sic fieret.» Hæc eminentissimus ille. Si autem Titius reapse esset

longe præstantior, et nulla arte injusta uteretur, videtur non peccare, quia neque injuriam faceret Sempronio, ob ipsius idoneitatem longe inferiorem suam: neque discipulis longe melius instituendis. Verum, quia in hoc casu multa sunt consideranda, et quia est casus exemplaris aliorum, idcirco audiendum puto S. Antoninum, qui p. II, tit. 2, cap. 2, § 1, ex Joan. de Rupella hæc profert: «Patet quid dicendum sit de his qui scholares retrahunt et subtrahunt doctoribus, cum quibus audiunt: quia aut hoc faciunt in odium doctorum, vel volentes sibi providere, vel aliis providere, vel volentes scholaribus providere. Si primo modo aut subtrahit scholarem qui jam intrabat scholas, et tunc tenetur doctori ad restitutionem scholaris, sive salarii et honoris sibi subtracti; si etiam doctor cui talis subtrahitur sit melior quam ille cui eum procurat, tenetur tali pro quanto utilitatem scientiæ sibi subtrahit. Si autem nondum scholas intravit, sed intrare disponebat, non tantum tenetur, licet obligetur scholarem inducere, ut redeat ad primum. Si autem hoc facit volendo sibi providere, puta: est doctor et vult sibi de scholaribus providere, si hoc sine fraude facit, et scholares nondum se dedere alicui doctori, non credo eum in aliquo obligari cum cuilibet sit licitum modo licito et debito procurare utilitatem suam, aliter non credo sibi licere. Si autem hoc fecit, volens alii providere, sicut quando scholaris alienus doctoris subtrahere conatur scholares aliis doctoribus, ut intrent cum doctore, in hoc solum honorem et utilitatem sui doctoris intendens; si subtrahat jam intrantem cum alio doctore, credo ipsum obligari; nisi forte illius doctoris cui subtrahit eum, insufficientia, et scholaris aliqua specialis cura qua sibi tenetur, excuset. Si autem retrahat intrare volentem, cum ex hoc nullum jus doctori sit acquisitum, et hoc facit sine fraude, non credo eum doctori in aliquo obligari; obligatur autem scholari, si eum retrahat ne audiat meliorem. Si autem hoc faciat utilitati scholaris volens consulere, et super hoc a scholari requisitus, consulit, quod audiat alium doctorem meliorem, bene facit: et dicta in his casibus sunt cæteris paribus intelligenda.» Hæc S. archiepiscopus ex laudato Johanne. Ex hac resolutione, quam exemplarem vocavi, inferas quid respondendum sit in similibus casibus, de advocatis, procuratoribus, medicis, artificibus, mercatoribus, etc.; imo et concionatoribus qui abducent alienos clientes, infirmos, eosque qui ab alio emere solent merces, vulgo *avventori*, etc., uti sibi majora lucri et utilitates temporales procurant.

## IMPEDIMENTA MATRIMONII.

Vide MATRIMONIUM quoad impedimenta.

## IMPOTENTIA.

Vide verb. IMPEDIMENTA MATRIMONII, art. 2, a n. 29 ad 38.

## IMPUDICITIA.

Vide verb. LUXURIA a n. 70 usque ad finem.